



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

S. Pavlli Coenobium, in vrbe Vltraiectina, olim in Monte sancto situm  
milliari vno ab Amersfurto, ditionis Vltraiectinae opido.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**



tuit, in quo hodieque sacra dignissimi omni  
 veneratione eius corporis reliquiae afferuan-  
 tur, festusque eius dies in dioecesi Tricassi-  
 na 20. Octobris agitur. Ita Nic. Camuratus  
 in Antiquitatibus Trecentibus.

## CAPVT LVIII.

## S. PAVLLI

*Cænobium, in vrbe Vltraiectina, olim in Monte  
 sancto situm milliari vno ab Amersfurto,  
 ditionis Vltraiectina  
 opido.*

An. 949.

**A**Nno Domini nongentesimo nonagesi-  
 mo quarto, defuncto Balduino Ponti-  
 fice Traiectensi, Anfridus cum pridem  
 ex seculari Comite clericus esset attonsus,  
 nunc Ecclesiae Traiectensis decimus octauus  
 est ordinatus Episcopus. Hic de nobili gene-  
 re Caroli Magni progenitus, fuerat prius  
 Comes Hoijsensis, Teysterbandiae, Bratuspan-  
 tiae, & Dominus de\* Holtena. Is Comes An-  
 fridus solitus erat residere in territorio suo  
 Driel apud Bommel, quia erat Dominus fe-  
 rè illius insulae. Et habuit nobilem ac deuo-  
 tam uxorem, quae nocturnis horis sub silentio  
 de castro descendere consueuerat, viro suo  
 ignorante quò iret. Quod attendens quidam

\* Vsiq̃  
 Altenae.Eam alij  
 Hilsmon-  
 lam, alij  
 Hilsindem

incomparat.

domi-



domino suo familiaris, dixit ei; Ecce domina nostra comitissa omni nocte sola exit è castro sub silentio, & nescio quò; fortè ad illos, quos in secreto cordis sui nequiter amat, ut amori suo satisfaciat. Quod audiens Comes obseruabat callidè excubias, ut sciret quò iret, ac tantas faceret moras. Et ecce quâdam nocte secundum suam consuetudinem in profundâ noctis caligine descendit de castro, & ipse cœpit silenter ire post vestigia eius. Et ecce vidit eam ante fores capellæ sub sambucogenibus prouolutam, atque ipsam diutissimè ac deuotissimè ibidem in oratione persistentem. Et statim vidente Comite totus aër firmamenti circa eam tanto lumine radiabat, ac si luna suo splendore tota splenduisset. Quod videns Comes valdè expauit, & de cetero magno honore & amore eam excoluit. Is denique cum vxore suâ seculum reliquit, & attonsus est in Ecclesiasticum. Idem inspirâte Deo, ad instantiam Notgeri Leodiensis Episcopi, dedit Comitatum Hoyensem Ecclesiæ Leodiensi, & Otho Secundus Imp. confirmavit. Insuper Comitatum Teysterbandiæ, & Bratuspantium donauit ad vsum Ecclesiæ Traiectensis. Item dedit adhuc alias terras Ecclesiæ Traiectensi de quibus dedit tales litteras.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, operæ pretium duximus, quæ subsequuntur scriptis inferere, ne posteros lateret, quod præsens ætas faceret. Quapropter desidera-

*Anfridus  
Ecclesia  
Vltraiecten-  
si dat VVe-  
sterlo pagã  
Campania  
Brabantia  
etc.*



*Notant an-  
tiquitatis  
Brabantia  
studiosi.*

mus notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam modò præsentibus, quod ego Anfridus, Dei solummodò gratiâ sanctæ Traiectensis Ecclesiæ Præsul, indigni iure, confisus in Domino cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, quandam mei iuris hereditatem, quam antea potestatiuè possederam, infra Comitatum Rien nuncupatum, quorum locorum hæc sunt nomina, VVesterlo, Odlobolo, Nierbeke, Hoybeke, Burente, pro me, meorumuè parentum remedio, cum omnibus ad hæc pertinentibus Ecclesiis, ædificijs, agris, mancipiis, pascuis, pratis cultis & incultis, siluis, aquis, aquarumve decursibus, trado ad Ecclesiâ S. Mariæ semper Virginis, sanctique Martini in Traiecto, ad restaurandû ibidè Dei seruitiû. Si quis huius rei traditionè infregerit, laqueum omnipotētis Dei iræ, eiusque genitricis Mariæ, sanctique Martini incidat, & quasi profanus à sanctæ Ecclesiæ liminibus sequestratus existat. Et vt veriùs credatur firmissimè obseruetur, sigilli nostri impressione propria manu designauimus.

*An. 1065.*

*Anfridus  
construit  
cœnobium  
in Monte  
Santo.*

*Et infra:* Anno millesimo quinto Anfridus Episcopus Traiectensis, tanquam filius castigatus & dilectus Deo, oculorum suorum lumen amisit, & venerabile collegium ordinis S. Benedicti supra Montem sanctum prope Amersfordiam, in honorem S. Dei genitricis construxit, in quo sacræ religionis habitum suscepit, & ad vitæ suæ terminum deuotissimè per-

mè per-



mè preduravit. Obijt autem anno Domini millesimo octavo, V. Nonas Maij, ac sepelitur in eodem monasterio, postquam Episcopatum Traiectensem sapienter gubernasset annis XI V. Igitur post dormitionem Anfridi Adelboldus natione Friso XI X. electus, est Episcopus.

*Et infra iterum*: Anno millesimo vicesimo septimo, V. Kal. Decemb. Adelboldus Episcopus migravit ad Dominum. Post hunc Bernoldus vicesimus ordinatus est Episcopus. Is Abbatiam reuerendi patris Anfridi de Monte sancto Traiectum transtulit, vbi conuentualem Ecclesiam in honore S. Paulli condidit. Anno Domini millesimo quinquagesimo quarto XIII. Kal. Augusti Bernoldus migravit ad Dominum, Sic Ioannes Leidanus Carmelita in manuscriptis Hollandiæ Chronicis. Eadem tradunt Ioannes Becanus, & Guilielmus Heda *Vltraiectensis Ecclesiæ Historiographi.*

*Libet his subiungere, quæ de huius cœnobij initijs ac progressu, nobis vir pius atque eruditus Ultraiecto transmisit.* Dominus Anfridus secundum seculi dignitatem Comes Teysterbandiæ, Bratuspantium, & Hoyensis, & Dominus de Altenae, vxorem habuit Hilsmondam; qui postea diuino nutu in XVIII. Episcopum Ultraiectensem promotus, construxit in loco Hohorst, prope Amorsfordiam collegium Ord. S. Benedicti, in honorem Dei genitricis Mariæ, tulitque duodecim monachos

*Moritur.*  
*An. 1008.*

*An. 1027.*

*Cœnobium*  
*ab Anfrido*  
*Monte*  
*sancto, con-*  
*structum*  
*transfertur*  
*Vltraiectū.*  
*An. 1054.*

*Anfridum*  
*Comitem*  
*Bratuspan-*  
*tium Sige-*  
*bertus in*  
*Chron. an.*  
*997. vocat.*



*An. 1006.* ex S. Viti martyris Gladbaensi monasterio, & instituit Dominum Vueringerum, doctum pariter & pium, primum Abbatem, & liberalissimè dotauit, anno CIO. VI, ipso dedicationis die, scilicet XIV. Kalend. Decembris. Qui Anfridus & habitum religionis in Monte S. Mariæ suscepit, & vitam deuotissimè finiuit an. CIO. VIII, vel vt aliqui volunt CIO. IX. V. Nonas Maij. Itaque Vueringerus Abbas fuit in monte sancto, & claruit an. CIO. XXVIIJ. cui Anfridus Episcopus multa bona, vt supra dictum est, tradidit, & Adelboldus itidem Episcopus decimas.

*An. 1022.* Adelbertus II. Abbas in Monte sancto claruit anno CIO. L. Huic Bernoldus seu Bernulphus Episcopus dedit bona, & monasterium in urbem Ultraiectinam transtulit anno Domini CIO. L.

*An. 1050.* Geruicus tertius Abbas, & primus monasterij S. Paulli, claruit anno CIO. CXVI, sub Burchardo & Godebaldo Episcopis.

*An. 1116.* Bartoldus secundus Abbas S. Paulli claruit sub Godebaldo Episcopo, an. CIO. CXVII. Et sic alij ex ordine Abbates, vsque ad Dominum Gerardum à Mierlo, qui XXXVI. Abbas, obiit anno CIO. IOLXXXIIJ. Hactenus ille.

*An. 1117.* *An. 1584.* Thorense virginum Canoniarum collegium, apud Masericam. *Quod ad Thorense monasterium, Ansfridi pariter opibus fundatum, attinet, est illud hodie nobilissimarum virginum Canoniarum illustre ac potens collegium, in vico Thoren, qui sesqui-*

milli-



militari distat à Maseica ditiois Leodicensis ad Mosam fl. opido, fixam habens sedem. Quibus quidem virginibus, in sacris muneribus obeundis subseruiunt sex Canonici seculares, amplissimè etidem dotati. De Thorensis huius monasterij i-nitijs ita legitur in Chronico Leodicensi, à monachis Aureæ vallis conscripto: Ab Anfredo Comite, de consilio Notgeri Episcopi Leodiensis, fundatum est cœnobium monialium in villa, quæ dicitur Turne, quam tenet Comes Brabantinus à Leodiensi Episcopo. Hic Anfredus in Episcopum inferioris Traiecti per Deum electus, suam coniugem Hilfindem in Turne constituit, vbi filia eorum benedicta primò regimen animarum sub regula B. Benedicti suscepit, & ibi sepultæ sunt. Notgerus Comitatum Hoyensem Leodiensi Ecclesiæ ab Anfredo Comite acquisiuit, & ea quæ Otho Imp. habebat ibi, acquitauit Episcopo, & a-nulo priuilegium sigillauit.

## S. IACOBI

Cœnobium, in insula Mosæ fluminis, intra muros vrbs Leodicensis.

**O**lbertus Abbas IIII. Gemblacensis, Lederalnæ in confinio pagi Sambrensis natus puer in cœnobio Laubiensi liberalibus artibus, ac disciplinâ monasticâ, ab Herigero eius loci Abbate, est instructus. Pòst Lutetiæ

*Trittho-  
mims lib. de  
Script. Ec-  
les. cum  
nuncupat  
Albertum.*

Q 5

Parisi-